(3)

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ENTERITIDE.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
ENTERITIDE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

CUMING KIDD,

HIBERNUS;

SOC. SOCIET. MED. EBLANAE.

————————horae
Momento cita mors venit, aut victoria laeta.

HORATIUS.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

MDCCCXXV.

REVERENDO

JOSEPHO JENKINS, A. M.

DE KEADY, COMITATU ARMAGH,

PASTORI

MERITISSIMO, VIGILANTISSIMO,

MORUM SUAVITATE, VITAEQUE PIETATE,

INSIGNI:

NECNON,

VIRO PROBO, BONOQUE,

LEE M[c]KINSTRY, ARMIGERO,

DE KEADY,

OMNIBUS EQUIDEM VIRTUTIBUS,

QUAE GENUS HUMANUM DECORANT,

ORNATISSIMO;

PROPTER MAGNA, ET SINE NUMERO, BENEFICIA,

USQUE AB TENERIS ANNIS IN EUM COLLATA,

QUORUM SEMPER MEMINISSE JUVABIT,

SUMMA OBSERVANTIA,

DICAT, DEDICATQUE

AUCTOR.

PATRI SUO

HONORATISSIMO ET CARISSIMO,

JACOBO KIDD, ARMIGERO,

DE MILLMOUNT, IN COMITATU ARMAGH,

AMICO SUO PRIMO OPTIMOQUE,

HASCE PAGINAS,

EA, QUA DECET, PIETATE,

CONSECRAT

FILIUS.

To Dr Hertford with the

compliments of the

Author.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ENTERITIDE.

AUCTORE CUMING KIDD.

Ex magna malorum cohorte, generi humano infesta, Enteritidem Medici attentione fere dignissimam existimo; utpote quae saepe quasi sponte occurens, saepius etiam aegri imprudentia superinducta, nec raro eventu pestifero finita, summam semper curam, et assiduam diligentiam postulet. His rite perpensis, eam idoneum quoque tentaminis inauguralis argumentum praebituram censeo; amplius quidem, quam tempus et limites nostri rite amplecti poterunt.

DE NOMINE ET DEFINITIONE

Clarissimus Cullenus intestinorum inflammationem, sub nomine Enteritide "Nosologiae" suae inseruit, in classe Pyrexiarum et ordine Phlegmasiarum collocatam hisque verbis definivit.

"Pyrexia typhodes: dolor abdominis "pungens, tendens, circa umbilicum tor- "quens: vomitus; alvus pertinaciter ad- "stricta."

In duas distribuit species; Enteritidem nimirum phlegmonodeam, dolore acuto, pyrexia vehementi, vomitu et alvo adstrictâ; et Enteritidem erythematicam, dolore et pyrexiâ lenioribus, sine vomitu, et cum diarrhoea. Duas vero istas species nec natura satis distinctas esse, nec raro alteram in alteram concurrere, Medici nuperiores ostenderunt.

DE MORBI HISTORIA.

Hic morbus omnibus in regionibus occurrit; sed saepissime sub coelo frigido et humido. Nulla quidem aetas eum fugit; sed adultos magis quam infantes; ex adultis senes maxime invadit: fortasse quia eorum intestina torpidiora esse solent, nec tanto muci tegmine quanto puerorum gaudent; quo pacto acribus ingestis, ipsis etiam stercoribus irritantibus, ei magis obnoxia evadunt.

Hujus morbi initio languor lassitudoque adsunt; horrores cum caloribus alternant; pulsus exilis, celer, durus evadit; cutis calet arescitque; abdomen tumet, et dolor torquens in aliqua abdominis parte, sed praecipue circa umbilicum percipitur. Hic pressu multum augetur; venter sese contrahit quasi in tumores vel orbiculos multos, vires valde et subito imminuuntur. E ventriculo materia multa biliosa vomitu ejicitur; os et fauces arida sunt; et secretiones,

qualiter partibus inflammatis contingere solet, suppressae sunt. Dolor quidem abdominis multum intenditur, motu spasmodico, aut vermiculari quasi intestinorum, hominem torquente. Hic motus raris quibusdam morbi exemplis, inversus fit; et stercora, vel etiam medicamenta, per inferiora indita, ore ejiciuntur.

Anxietatem et dolorem ingentem vultus aegri mirè exprimit; sitis intensa urget, urina parce, nec facile fluit. Alvus fere adstricta est; sed aliquando diarrhoea potius adest; nec pauci Enteritide extincti sunt, quibus alvus haud incommodè onus suum naturale reddidit. Aliis mucosa videtur, faece naturali retenta.

Morbo jam ad finem lethalem properante, haec signa apparent. Membra extrema frigescunt; facies, et labia maxime pallida sunt; sudores olidi gelidique e variis corporis partibus prorumpunt; respiratio difficulter ducitur; singultus adest; aliquando materiae biliosae vel sterco raceae vomitus est. Si quando haec indicia molesta repentino evanescunt; si alvus, antea adstric-

ta, nunc solvitur; adstantes et amici aegrum cito convaliturum esse putant. At Medicus peritus bene scit, haec signa mortem praesagire, et gangraenam supervenisse evidenter ostendunt.

Dolor hujus morbi comes, gravissimus est: et praeterea motu torquente, peristaltico dicto, augetur. Cibus et excrementa quoque, gase extricando, in transitu intestina multum distendunt, irritantque. Aeger misere anxius omnes in partes se torquet, ut aliquid levamenti parare possit: nunc dextro lateri, nunc sinistro, incubans. Sed corpus frequentissime antrorsùm inclinatur. Aliquando expergiscitur, lecto exsurgit, ambulat per cubiculum sine quovis doloris levamento. Lectum rursùs petit, somnum quaerens, sed frustra; mors enim brevi victimam languidam opprimit.

DE CAUSIS.

Causae vel praedisponentes, vel excitantes, sunt.

Causae Enteritidis praedisponentes sunt, vita ignava, sedentaria, qua intestina irritabilia, neque minus torpida evadunt; liquorum ardentium abusus; habitus corporis robustus; temperamentum sanguineum; victus valde stimulans nimisque nutriens, aetus provecta; alvus adstricta; et priores intestinorum morbi.

Causae Enteritidis excitantes sunt, quicquid actionem partis auget, ut frigus corpori, maxime pedibus aut ventri admotum, hominis praesertim praegresso calore, vel aliis causis mobilioris redditi, Enteritidem saepe facit. CULLENUS putat, a frigore humores ab externis ad internas dirigi partes: sed Dominus J. BURNS, potius nervorum actioni affectum frigoris attribuit. Addit, nullum humorum impetum auctum existere posse, sine aucta nervorum actione. Aliae causae excitantes, sunt acria intrinsecùs sumpta; violentia externa; colica; hernia. In acribus recenseri possunt arsenicum, argenti nitras, antimonii tartras, acida, alcalia, mille venena, quae non tantum, nec ètiam semper ventriculum inflammant sed

intestina gravissimè afficiunt. Faeces duriores, retentae, eodem numero recenseri debent; atque Hernia incarcerata aut Erysipelas, Rheumatismus, Colica in Enteritidem desinentes, morbum lethalem, singuli suo more, excitant.

DE MORBI TERMINATIONE.

Enteritis eodem ac aliae inflammationes modo terminari potest: per resolutionem, effusionem, suppurationem, gangraenam.

Omnium harum terminationum resolutio maxime optanda est: et his signis cognoscitur. Dolor locum mutat; nausea et vomitus minus urgent: alvùs priùs pertinaciter adstricta, nunc laxantibus solvitur; enematis datis pulsus plenior er mollior fit; atque copiosa et generalis effusio e cute manifesta est. Dolor minuitur, neque tam frequens est; omnia signa levantur, et aeger abdominis etiam pressionem impune tolerat.

Cum inflammatione majorum intestinorum suppuratio frequenter una adest. Signa

sequentia has plerumque indicant: dolor jam minus saevit; horrores corporis frequentes sunt cum sensu ponderis et anxietatis in praecordiis; pulsus initio debilis, cito durus et frequens fit; febris levis sequitur, cum sudoribus frigidis nocturnis, aliisque hecticae indiciis conjuncta. Si vero abscessus in intestinum materiam purulentam, concretione facta, profundit, et haec faecibus miscetur, vita aliquando sospitatur; si, contrà, in cavum abdominis sese deplet, inflammatio peritonaei lethalis sequitur, et pallida mors miserum brevi extinguit.

Cum vero gangraena signis omnibus aliis Enteritidis supervenit, indicia alia evanescunt; dolor subito cessat; decipitur saepe non tantum aegrotus, sed amici et ipse aliquando medicus blanda hac malorum intermissione. Sed vires brevi labuntur; pulsus fit debilis, abnormis, quam numerari potest frequentior: sudor gelidus e corpore manat; singultus moleste habet; intestina relaxata aereque tensa abdomen tumefaciunt; urina suppressa, subsultus tendinum, syncope, vultus cadaverosus, facies Hippocratica, mors tandem subsequuntur.

DE SIGNORUM RATIONE.

De dolore observandum est, omnem novam vel imperfectam actionem fere sensum animi excitare. Ideo sequitur, ut, quo vehementior nova actio sit, eo acutior novus inde excitatus sensus futurus sit. Sequitur etiam ut si novae actioni naturalis cujusdam aliis impedimentum conjungatur, sensus novus tanto intensior sit futurus. Itaque intestinorum inflammatio, quae has duas conditiones una jungit, sensum acutissimum creare debet. Hunc sensum vehementem, intolerabilem, qui dolor est, partium earundem mobilitas innata, ingensque nervorum vasorumque copia iis distributa, singulariter exaugent.

Vomitus ex consensu inter ventriculum et intestina perpetuo gignitur: haud aliter quam Hernia, colica, ictibus abdomini impactis, paracentesi abdominis, recèns enixis fieri solet. Consortium ope nervi sympathetici conservari putatur. Tanto propior inflam-

mationis sedes ventriculo, eo gravior vomitus.

Alvi durities aut laxitas, è conditione membranae mucosae pendere putatur; sed de hac re haud satis constat.

DE CADAVERIS SECTIONE.

QUANTO acùtior fuerit inflammatio, quanto diutius remanserit, tanto ferè magis sese per cavum abdominis caeteraque viscera sese extendisse videtur; sed non semper. Statim sub initio morbi extinctis, intestina crassiora et praeter consuetudinem rubra inveniuntur; sed celeberrimus Doctor MONRO se eadem viridi colore aliquando vidisse testatur. Peritonaeum non semper afficitur sed si intensa fuerit inflammatio, strato lymphae coagulatae contegitur; et Doctor BAILLIE auctor est, ex inflammatione violentiore se lymphae portiones per superficiem peritonaei abdominalis internam sparsas vidisse. Hoc tamen rariùs occurrit. Intestina simul densiora sunt et ponderosiora,

quam in statu sano. Color nonnunquam nigerrimus, portione magna sanguinis extra vasa effusa. Interdum haec effusio nonnullis pro gangraena sese ostendit; sed quae sequuntur discrimina fere sufficient. Cum gangraena adest, intestina nigrum, lividum, aliquando cinereum colorem monstrant, fabrica ita destructa, ut digito facile lacerabilia sint; splendor quoque peritonaei integentis amissus. Nulla canalis intestinalis sedes non inflammationi obnoxia est, ejusque sequelis ulcerationi et suppurationi; sed ulceratio saepius occurrit in minoribus quam majoribus. Cum vero in utrâvis videtur, forma ejus valde varia est, marginibus nunc dentatis, nunc naturalibus; cavitate modo profunda, modo perquam superficiali, quasi leniter scalpello erasa.

Saepius vero accidit, portionem intestini exulceratam visceri cuiquam alii adhaerere, saepe quidem ut inter duo cava communicatio aperiatur. Saepe hoc inter rectum et vesicam fit, ut pus renibus viisque urinalibus formatum, per alvum descendat; et vita hujusmodi miserrima diu saepe protrahi-

tur. Quum Enteritis intus-susceptione excitata est, portio intestini alteram introisse per aliquod spatium invenitur, cum parte mesenterii. Superior portio fere inferiorem init, sed contrarium aliquando accidere videtur. Sedes intus-susceptionis plerumque est, qua ileum in capite caeco coli desinit; id quod saepiùs fore, monstrat ilii tenuitas, cum coli magnitudine comparata. Doctor BAILLIE dicit, hoc saepe, in infantibus observari nec ullis mortem malis praegressis; sed aliàs inflammationem magnam gigni, et partes pressas crassiores fieri, et simul adhaesionibus agglutinari, quae cibi transitum impediunt, mortemque inducunt.

DE DIAGNOSI.

AD diagnosin pertinent, Colica, Gastritis, Nephritis, Dysenteria, Hepatitis, Peritonitis. Colica sine febre est; dolor, ex intervallo rediens, pressu semper minuitur, pulsus tardus, plenus, mollis est; haec indicia ab Enteritide satis discriminant.

Gastritis habet vomitus et singultus vehementiores, sitim indomabilem, vires multum imminutas, magis quam in aliis viscerum inflammationibus; nec tamen in eo dolor torquens circa umbilicum sentitur, nec pressus infra umbilicum excruciat, nec alvus ita adstricta est.

Nephritis facile distinguitur stupore cruris ex latere affecto, dolore cursum ureterum sequente, testis retractione, crebro urinae reddendae desiderio, vel suppressione.

Inter Dysenteriam et Enteritidem dignoscimus dejectionibus frequentibus prioris, neque minus tenesmo, sanguine faecibus mucosis mixto. Denique, vires vix unquam Dysenterici aeque depressae; dolores tolerabiles sunt, et abdominis pressu levandi.

Hepatitidem acutam discernimus dolore pungente in hypochondrio dextro, qui ad dorsum atque claviculam tendit, comitante simul summae cutis, tunicae conjunctivae et urinae flavedine, et difficili in latus sinistrum decubitu.

Peritonitis abdominis tensionem fere habet, atque Cruciabilem dolorem ex levissimo

abdominis tactu; eundem magis etiam exauget spiritus plenus, quam in Enteritide fieri solet. Vomitus non semper adest; alvus forte minus pertinaciter adstricta est. Aeger dorso recumbit cruribus reductis, nec alium corporis positum tolerare potest.

DE PROGNOSI.

Ingens hujus morbi periculum, subita et saepe lethalis terminatio medicos admonent, ne temerariam afferant prognosin. Quamvis enim principio morbus appareat levis, progressu periculosissimus evadit. Si remedia bene responderint, iisque inflammatio jam cedere visa sit, cum pulsu pleniore, firmiore, aliisque febris decedentis indiciis, vel ut cute humida, lingua nitida, nausea et vomitu mitigatis, viribus haud ita fatigatis; tum prognosin faustam pronunciare licebit. Sed interdum periculum maximum apparet protinus a primis morbi diebus; atque si sic perstet, etiam remediis ideoneis adhibitis, cum alvi adstrictione, vomitu, et singultu super-

venientibus, cum febre multa, pulsu parvo, debili, et frequenti, tum infaustissimum praesagium erit. Doctor Wilson Philip docet, periculi plus subesse cum intestina tenuiora afficiuntur, et, uti supradiximus eo plus, quo ventriculo proprius.

DE MEDENDI RATIONE.

In progressu hujus morbi veloce, tempus quo spem vitae conservandae aegro proponere possumus, brevissimum est. Sit igitur medicatio nostra alacris, potens; neque tamen alia respicienda sunt medendi consilia, quam quae caeteris inflammationibus accommodata sunt.

Imprimis, cordis et arteriarum impetum imminuere oportet;

Deinde, obstructionis causas ab intestinis amovere.

Statim ab impetûs morbi initio ad liberalem sanguinis detractionem confugere opor-

tet. Haec brevibus intervallis celebretur, pro signorum violentia, pro aegri aetate et viribus repetenda. Post autem primam detractionem, si morbus cedere non videtur, dolore abdominis permanente, et pressu, vomitu, et constipatione aucto, missionem sanguinis iterare opportunum erit. Quarta deinde vel quinta hora, copia sanguinis missi nihil obstante, pulsus antea parvus et durus, nunc plenus et mollis est. Post venaesectionem liberum, missio sanguinis topica hirudinibus plurimis abdomini admotis, perutilis erit. Hirudines semper cucurbitulae anteponuntur, quia hujus pressus necessarius dolorem auget; atque hirudines facilius applicantur.

De Epispasticorum usu inter Medicos satis convenit. Novam actionem movet, atque quoniam lata quasi lege natura sanxit, duas uno in corpore morbosas subsistere non posse, vetustior fere opprimitur, praeterea corpore vacuefaciendo nonnihil prosunt; derivando quoque, post fomenta adhibita, maximopere juvant.

Purgantia post inflammationem idoneis remèdiis subactam, ad alvi duritiem tollendam, admoveri oportet. Hoc tamen non aprìme necessarium, cum non causa sed effectus potius morbi videatur. Enemata, ex infuso sennae et sulphate magnesiae composita, oleo ricini adjecto, huic usui commodissima sunt. Sed si ventriculus medicamenta ferat, purgantia lenia per os exhibere potius erit.

Statim sub initio morbi acria purgantia ingerere, consuetudo Medicorum recentium perniciosa fuit: sed infusum sennae cum sulphate magnesiae non incommodum erit, pauxillo magnesiae ustae adjecto, inquit Thomas, ne ventriculum offendat. Pari ratione, pilulae ex submuriate hydrargyri, et extracto colocynthidis opii nonnihil prosunt. Omnium vero utilissimum oleum ricini est, cujus lenis admodum natura intestinis inflammatis optime convenit. Doctor Armstrong nuper opium proposuit, velut remedium utilissimum post inflammationem sanguine misso domatam, exhibendum. Id

scilicet, plena dosi praebet, et sic continuat, donec omnia signa molesta sublata fuerint. Fotus calidi ventri applicari, et crebro repeti debent, postquam signa, sanguine abstracto allevata sunt. Ad horas duas, plusque, si opus visum sit, continuentur; namque ad dolorem et tormina mitiganda saepe haud mediocriter valent. Si quidem priusquam inflammatio idoneis remediis subacta fuerit, fotus ventri admoveantur, calorem febrilem potius augere videntur, nec valde dolorem leniunt. Siquando Enteritis ea Hernia ex incarcerata orta sit, omnia auxilia supra tradita parum proficient, antequam portio intestini delapsa, mali scilicet origo, liberetur.

Si vero materia quaevis acris aut venefica in ventriculum recepta, inflammationem excitat, vomitorium tum aliquid proficere potest, aut antlia ad venena ventriculo ejicienda nuper inventa. Humores quidam mites poti aliquando adjuvare possunt.

Quin, si substantiae ipsius naturam compertam habeamus, medicamenta hanc des-

truere aut mitigare valentia, qualia antidota dici solent, statim administrari debent.

Postremo, alia multa remedia apud diversos auctores memorata sunt ; sed supra traditis malo certissime Medicus succurrere poterit.

FINIS.